

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
De

ATROPHIA,

Quam

ANNUENTE DEO T. O. M.

&

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

In Illustri Viadrina

SUB PRÆSIDIO

DECANI SPECTABILIS

DN. BERNHARDI ALBINI,

PHILOS. & MEDIC. D. hujusq; PROFESSORIS
ORDINAR. CELEBERRIMI,

FAUTORIS AC PROMOTORIS SUI
Eternum non satis estimandi.

PRO LICENTIA,

ASSUMENDI CRADUM DOCTORALEM,
Publico Eruditorum Examine subjeciet


GEORGIUS *Gottlieb Knobeloch*
FRANCOF. MARCH.

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad Diem XV. Septembr. A. ab O. R. M DC LXXXIV.
Horis Ante & Pomeridianis.

FRANCOFURTI AD ODERAM,

Typis CHRISTOPHORI ANDRÆ ZEITLERI, Junioris.



DISPVTATIO MEDICA IN PUBLICIS

ATROPHIA.

ANNUNTIA PRO T. O. M.

IN PRAESENTIA FACULTATIS MEDICAE CONSTITUTAE

IN HUIUSMODI PRAESIDIUM

SUB PRAESIDIO

DR. BERNHARDI ALBINI

PHILOS. & MEDICAE PRAESIDIUM PROFESSORIS

PRO LICENTIA

PRO LICENTIA

ASSUMENDI CENSURAE DOCTORALIS

GEORGII GEORGI

IN CHIRURGIA ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA





P R Æ F A T I O.

Vitam nostram miserè teri, omnes fateri debemus, præcipuè si inspiciamus ægros facie variè & vagè tinctâ vel cadaverosâ, vel vultu horridos, quam nativis coloribus depinxit Medicorum Princeps: Expositi sumus nos infelices turbulentissimis continuo procellis, quæ raptant mortale corpus & ad sepulchrum præcipitant, hincque nascentes quasi morimur. Quapropter haud ineleganter sagacissimus Naturæ perscrutator Plinius dicit: *Hominem esse quasi lucernam vento expositam*: quot enim & quantæ morborum calamitatumque turbines miseram illam lucernam (hominem) invadunt, quæ ipsam in totum extingvere conantur? Et quis unquam mortali-um omnia mala, omnia incommoda, omnes miseriae ac ærumnas, tanquam peccatorum poenas, quibus humanum genus obnoxium est, aut ore effari, calamove depingere potuit? *O diram ac deplorandam mortalium sortem! Vita certè non est vita, sed calamitas*: Quot enim modis, quibus infortuniis tam miranda humani corporis fabrica, tam artificiosa machina, Divinum illud summi Numinis opificium sæpè sæpius non labefactatur ac tandem absoluto vitæ cursu destruitur; cum plumæ ad
A 2 instar

instar, vinculo soluto, quæ vento rapitur, & fumi more, qui in auras evanescit, in fœtidum cadaver, vermicumque escam corruat, ac sub formâ pulveris quaquaversum dissipetur: Quot membrorum millia, quot symptomatum, tanquam totidem ferarum, in humanum corpus sævientium *μυστῆρας*, dolorumque phalanges, in totalem *Microcosmi* ruinam conspirantes non profert atra dies? Rarò sine ullo morbo, doloreve primus vitæ dies tranfigitur; imo sæpè vix nati primam, quâ fruimur, lucem cum morte mœsti commutamus, ac tandem lucis usurâ diutius si frui detur, *Nulam est rep̄vire vacuum dolore vitam.* Quamobrem cum eo res meæ redierint, ut prius, quam Medicorum ordini adscribar, Lemna quoddam è Medicinâ petitem, literis mandarem, publicitusque pro virili defenderem; nihil ad id præstandum accommodatius in mentem mihi diu multumque cogitanti venit, quam ut unum & quidem ex omnibus non minimum morbum, ATROPHIAM scil. præ cæteris eligam; Hic mihi inauguralis lemmatis materiam suppeditabit, quam, si non pro materiæ dignitate, saltem pro viribus ac ingenii modulo, quantâ potero brevitate & perspicuitate, pertractare animus est. Ne vero omnis methodi expers vagarer, placuit certam quandam rerum tractandarum seriem assumere, secundum quam, ut nautæ secundum pixidem magneticam, cursum meum dirigere possim. Hinc sequentes terminos tenere constitui; nimirum tria hæc Disputatio habebit capita, quorum I. statum nutritionis naturalem explicabit, quo neglecto, impossibile est, ut quis ad veram morbi cujusdam cognitionem ac causam pervenire possit, quod à Galeno confirmat-

P R Æ F A T I O.

firmatur, dum expressè dicit: *fieri non posse, ut, qui id, quod secundum naturam sit, non norit, dignoscere id, quod præter naturam sit, possit.* II. quædam de Atrophix nomine, definitione, causis tam, proximis quam remotis, in medium proferet, ac tandem signa diagnostica & prognostica annectet. III. Habebit quædam de methodicâ ac rationali curatione. Priusquam autem opus hoc aggredior, *ad Te, summe DEUS, Largitor omnium bonorum, supplex accedo, ex imo corde precat, velis huic cepto ex altis benedicere, vires ex gratia largiri, atque mentem meam ita semper dirigere, ut omnia, quacunque in Re Medicâ suscepero, in Sanctissimi Tui Nominis laudem & ægrorum emolumentum cedant.* Te vero quisqvis es B. L. etiam atqve etiam rogo, ut, si quæ minus exactè & minus concinnè Tibi elaborata videantur, id mihi candidè ostendas, errorem demonstras, melioremqve in veritatem, cuius semper sum avidus ac amans viam aperias, quod si feceris, me Tibi facillè subijciam. *Quamvis sciam, quod ne JUPITER quidem omnibus placeat.* Vale B. L. & si lubet fave.



DISPU-

CAP. I. DE NUTRITIONIS
DISPUTATIONIS INAUGURALIS
CAPUT I.
DE
NUTRITIONIS STATU
NATURALI.

THES. I.

Non minus lepida ac jucunda mihi semper visa fuit fabula quæ apud *Libium lib. 2. exstat, de Mennio Agrippa*, qui quondam plebem Romanam, cum seditione factâ secessisset in montem sacrum, hæc solâ revocavit ad quietem. *Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes, suâ curâ, suo labore ac ministerio ventri omnia quari: Ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui. Conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hæc irâ dum ventrem fame domare vellent; ipsa unâ membra, totumq; corpus, ad extremam tabem venisse; inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis aliâ, quam alere cum; reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemusq; divisum pariter in venas maturum confectò cibo sanguinem.* Hæc, licet emblematicè propositâ, ille Autor innuere voluit; Corpus nostrum jugi & perpetuâ vegetatione, refectione, ac deniqve restauratione ciborum indies indigere, sine qua caducum & labile foret hocce mortale corpus, vixqve per dies paucos defectum sufferre posset; verum magis magisque marcesceret, exaresceret ac contabesceret, tristeqve præberet mundo spectâ-

spectaculum; quod plus quam fatis comprobant milites obsidione vel annonæ angustia oppressi, qui, quamdiu ira miserè in hisce terris coguntur vivere, multum substantiæ per insensibilem transpirationem aliasque evacuationes deperdunt, ad quod restaurandum conservandæ vitæ ergo, perpetua indigemus nutritione: Etenim *vita & nutritio pari passu ambulant.* Quoniam vero nutritionis gratia expetuntur & assumuntur alimenta, de horum præparatione præcedanea & de fermentatione sive chyli elaboratione quædam in medium profereamus, ac tandem Nutritionis negotium explicabimus, ita quidem, ut brevitatis leges non transcendamus.

II.

Ad hanc ciborum fermentationem multum confert, ut cibus ingestus probè masticetur, dentibus minuatur: Obvium scilicet, cuius est, cibos, antequam ad corporis nostri culinam (ventriculum puta) dimittantur, aliquamdiu masticari & comminui intra dentes, adeoque eorum texturam dissolvi, atque in multo plures particulas dividi, & ita majorem acquirere superficiem: (Omne enim corpus quo plus dividitur, majorem nanciscitur superficiem:.) Ad quam divisionem non parum confert saliva, per vasa salivalia undique in os instillans, seque masticandis cibis copiosè admiscens. Atque hoc omne fit, tam pro ciborum saporibus melius percipiendis, dijudicandis, quam pro facilitanda deglutitione; tandemque pro feliciori fermenti stomachici penetratione atque digestionem: nam saliva præstat alimentis Digestionis *inchoamentum*, succus verò ventriculi *ejus complementum*: Hæc scilicet, saliva constat particulis spirituosissimis, salinis, acidis & aëvosis, id est, pungentibus, scindentibus, flexibilibus & magis mobilibus, adeoque circa quævis

vis corpora facile sese circumvolentibus, unde non debet non tribus hisce particularum generibus assumptorum divisio summopere in ore promoveri. Pluribus de natura ejus & origine videatur Syl, & Sten, *de Gland. oris*, & Wartonius *in Adenographia*.

III.

Posteaquam in ore hanc accepit cibus præparationem ad ventriculum ulterius ejus fit protrusio, quæ actio deglutio dicitur; fitque dum linguæ beneficio ad gulæ partem superiorem ejusque expansam cavitatem, pharyngem scil. cibus protrusus, imprimis à sphinctere se angustante, per fibras nerveas, œsophagi tunicas investientes motuque quasi peristaltico se successive contrahentes, continuatur: Hæc verò deglutitio duos involvit actus, quippe alimenta masticata tum à lingua ex oris ampliore parte ad faucium angustias projiciuntur, tum ab œsophago hujusque musculis ad ventriculum deprimuntur, quorum motuum ille non saltem, sed hic posterior quoque merè voluntarius est, ita quidem ut semideglutita facile remove liceat.

IV.

Antequam verò ciborum in ventriculo fermentationem seu chylificationem explicemus, è re nostra esse duximus, quædam succinctè ex Anatomicis præfari de œsophagi atque ventriculi structura atque situ.

V.

Oesophagus seu gula totus ille canalis est, qui ad linguæ radicem seu à faucibus principium sumit, inter asperam arteriam & colli atque thoracis vertebrae juxta basin cordis & inter diaphragmatis mulculos inferiores, sinistrum scil. & dextrum descendit, ac tandem in ventriculum nomine orificii sinistri terminatur. Hujus

jus principium Pharynx appellatur, ac suis musculis gaudet, de quibus videatur Bartholini anatomia, & Hornius in microcosmo: reliqua canalus hujus substantia, ex tribus coagmentatur tunicis, quarum prima exterior sc. communis aliàs dicta. è tenuissimis & membranaceis saltem fibris conflatur, ita ut vix alium canali huic usum præstare possit, quam ut eundem partibus vicinis alliget; altera & media carnosâ atq; crassa satis, imo reverâ musculosa est, cujus fibræ juxta Stenonem de musculis & glandulis pag. 13. & 15. Spirales, duplicis quasi ordinis, sese mutuo interfecantes & duas cochleas, contrario ductu sibi occurrentes, constituunt, cujus usus est contractionem & assumptorum detrusionem præstare. Tertia & intimior tota nervea & fibris diversi generis donata est, continua oris membranæ communi neutiq; ventriculi tunicæ nerveæ, utpote, quam potius transcendit eaque magis candicans est, (ubi enim membrana hæc albicans definit orificium ventriculi superius incipit) quæ cum intima, sensûs præpimis munia obit.

VI.

Ventriculi, tanquam organi chylum elaborantis situm figuram & magnitudinem *avrovia* docet, & ratione posterioris communiter dividitur in fundum & orificia, ita ut tota illa capacitas, quæ orificia bina interjacet, fundus appelletur, alterum vero illorum superius, alterum inferius dicatur; quæ tamen ostiorum distinctio ratione situs admitti haud potest, cum ambo in ventriculi parte superiore sibi diametraliter sint opposita, imò pylorus in avibus prope altior stomacho seu sinistro orificio sit, observante Wepfero de cicutâ aqvaticâ; sed orificii saltem intuitu, cum illud alimenta primo admittat, hoc vero chylum elaboratum emittat, imo forsân

B

com-

commodius à nonnullis *Sinistri & Dextri*, nomenclaturâ exprimuntur. *Sinistrum seu superius febris* carnis circularibus donatum; notabiles sunt circa hoc osteumplexus nervorum paris vagi, ex hujus extremitatibus contexti, quorum nervorum per thoracem ad ventriculum descensum Willisius in *Anatom. cerebri cap. 23.* describit: Hoc orificium neque valvulam neque musculum habet, sed, uti in thesi præcedenti dictum, descendit inter diaphragmatis musculos inferiores, dextrum scilicet & sinistrum, quorum fibras non nihil inflexas in arcum quasi amplectitur, quâ in parte magna naturæ providentia emergit, ut à perpetuo motu diaphragmatis constringeretur, ne hiaret & irritò successu assumpta exciperet statim iterum per idem orificium sursum ejienda; quod ut ita se habeat exemplo voracissimorum hominum bolos minimè comminutos deglutientium probari potest, hinc enim haud comminutus cum deglutiatur à vorace hæret circa istud orificium, qui, propter angustiam œsophagi negotium facescit fibris diaphragmatis, quo se dilatare nequeant & sic impeditur motus ejus, quo sublato respiratio aboletur, & inde suffocationis periculum imminet.

VII.

Dextrum autem Pylorus dicitur à dextro stomachi latere cum antro capaci & longo sensum angustato in foramen parvum definit; prodit tamen æque à superiore ventriculi parte, imò ab eo emanans non nihil ad superiora reflectitur, ne proprio pondere alimenta ventriculum præterlabantur, sed hujus contractione potius ad intestina urgerentur: Hoc inferius orificium valvulam in angustiore ejus foramine habet, quæ chyli regressum è duodeno impedit, hinc à Riolano in *Enchyrid. anatom.*
val-

STATU NATURALI.

II

valvulæ colifuit comparata. Ratione congruum etiam videtur, quod Platerus de fœtore anhelitus afferit, illum non raro à nimia pylori laxitate fœdis vaporibus ex intestinis elevatis contingere: De hac valvulâ Wefferus *de Cicutâ aquaticâ pag. 122.* scribit, quod nihil aliud sit nisi circulus ex fibris nerveis circularibus densissimè compactus, imò quasi cartilagineus, arctissimè pylorum stringens. Substantia verò ventriculi ex tribus tunicis est contexta, quarum prima & extrema à perytonæo oriunda, omnium tenuissima est; Altero carnosa est, fibris donata variis, quæ exteriori membranâ detractâ, statim in conspectum veniunt, aliæ secundum longitudinem ejus decurrunt. Tertia nervosa & fibris quæqua versus ductis prædita est; huic coheret substantia glandulosa, quæ eâ parte, qua ventriculi cavitatem respicit, villosa, convexâ sui parte glandulis copiosissimis obsita, imò admodum rara & spongiosa est, pluribus de hac videatur Peyerus *de Glandulis ventriculi & intestinorum*: vasa ejus triplicia sunt, Nervi, Arterie & Vene, de quibus videatur Bartholinus *Anatom. reformatâ*, & Willisius, *in Pharmac. rationali, de primarum viarum descriptione.*

VIII.

Conformatione ventriculi sic obiter consideratâ, revertor ad scopum meum, à quo nimium recessissè videor; propterea optimè me factum duco si chylicationis præmittam definitionem, seu qualemcunque descriptionem. *Est igitur mihi nihil aliud chylicatio, quam alimentorum tam esculentis quam potulentis constantium, in minimas particulas divisio & separatio, facta intra ventriculum à fermento salino, acido volatili, ac in liquorem lactiformem commutatio.*

B2

IX.

IX.

Est igitur primum hujus actionis efficiens non calor, quod variis argumentis probatur, *Primo* caloris univoca actio est tantum calefacere, & per accidens exficcare; cum tamen, quicquid stomacho ingestum, plane transmutetur, longeque ab elixatione, cæterisque cocturis, quocumque gradu adornatis, chylificatio differat; Nam, licet aquis ferventibus immittantur alimenta, nunquam comminuuntur, vitrum etiam & metalla in pennatorum ventriculis comminuuntur, vix vero ab igne elixando scil. & coqvendo absumuntur. *Secundo*, Si à calore chylificatio, quò intensior calor, eò & hæc felicior foret, cujus tamen contrarium febres evincunt, *Tertio* assumpta calefacientia v. gr. spiritus vini non semper promovent, sed sæpius lædunt hanc actionem. *Quarto* multa in stomachis nonnullorum animalium dissolvuntur, quæ calor dissolvere haud poterit, v. gr. ossa in canibus &c. ex quibus patet, hujus primum auctorem haud esse; quamvis non negandum eundem insigniter in nobis coctionem adjuvare, de quibus in sequentibus.

X.

Remanet ergo ut fermentationi adhæreamus, dicamusque inesse ventriculo succum quendam, qui instar fermenti pistorei alimenta apportata ad fermentationem excitet eaq; transmutet: Hic succus, uti in definitione dictum, est salino acidus, volatilis, suo genere specificus. (Omne enim animal peculiare habet fermentum, v. gr. equus, bos, habent fermentum edendi & conterendi fœnum ac frumentum, sic in chymia aqua regia solvit aurum, non argentum, & è contra, aqua

quæ fortis argentum, non verò aurum; imo in singulis animalium individuis pro circumstantiarum varietate insignis est fermentorum diversitas: sic verbi gratia in homine, ratione ætatis, sexus, status sani vel ægri alimentorum maxima, vel ob acrimoniam, vel volatilitatem, vel alias proprietates, est diversitas; quod nulli videri potest mirabile, qui inenarrabilem salium varietatem ex aliâ atque aliâ, cum inter se, tum cum particulis aliis, commistione oriundam, indeque multiformes resultantibus proprietates & agendi varietates considerat: unde fermentum erit nunc acidum, nunc falsum, nunc acre, nunc insipidum, nunc peculiaris saporis, quibus de videre potest Hippocrates de *priscâ Medicinâ*.) & stomacho appropriatus, unde cibum masticatum & fallivali menstruo aliquantisper subactum potuque bene dilutum incidit, penetrat, resolvit, volatilitateque suâ subtilizat, & actum fermentationis promovet, cujus causæ sunt figuræ diversæ particularum, tum fermenti, quod in ventriculo reperitur, tum alimentorum, quæ faciunt ut pori hujus mixti, non recipiant, nisi materiam primi elementi; (aut si præterea etiam secundi elementi globulos admittant, illos poros ita angustos reddunt, ut solito celerius illi fluere debeant) quæ, cum semper celerrimè moveatur poros hos dilatat, particulas à se invicem deducit & omnia illa facit, quæ in quavis fermentatione fieri observamus; sed ut totum hoc negotium clarius proponere possimus, primò fermenti hujus naturam ac deinde alimentorum mutationem describemus.

XI.

Hoc fermentum originem suam habet non ex splene, cum canes exsecto splene adhuc sint egregiè voraces,

ces, videatur Helmontius in tractu sexdupl: Digest: sed *primum* ex liqore subtili acido seu acido-falso perarterias rami coeliaci ad stomachum delato & per internam membranam glandulis multis præditam transudante, *secundo* ex spiritibus vitalibus per nervos sexti paris grandiores & copiosos, non pro solo motu ac sensu eo delatis, *Tertio* ex *salviâ* una cum cibus deglutita & continuo ex ore in ventriculum defluente, *Quarto* ex reliquiis alimentorum fermentatorum rugis ventriculi adhærentibus (nunquam enim ventriculus ita contrahitur quin aliquid remaneat in fundo intrarugosas ejus cellulas) ibiq; propter moram in fermenti naturam degenerantibus. *Quæ* itaq; mixtura in ventriculo vacuo contenta, in se invicem agendo, continuo acrior fit, poris ventriculi se insinuant, & fibrillas nervorum blande movet; *Qui* motus per totum nervi ductum continuatur ad cerebrum usq; atque ibi certas particulas hoc modo movendo, excitat in mente desiderium ciborum, quod famem dicimus.

XII.

Omnia vero ista in Thesi præcedenti enarrata nondum suscitarent fermentationem hanc in ventriculo, id est alimentorum divisionem, nisi accederet causa aliqua universalis quæ calcar adderet salibus antea dictis, quæ si hic in se spectentur, magis passiva sunt quam activa: Physica enim nos docet, nullum corpus se ipsum movere, sed unum corpus dum movetur alteri imbecilliori motum posse impræmere; citra omnem dubitationem asserimus, fermentescentes particulas nulla à alia re nisi corpore cieri, quod quidem præter materiam subtilem, cui primi elementi nomen indidit Philosophorum Princeps *Renatus des Cartes*, nullum agnosco neq; quicquam

quam aliud accommodatius inventum iri existimo:
 Qua ratione vero ista materia primi elementi aliquid
 contribuat ad fermentationem, quæ in ventriculo fieri
 debet, ex sequentibus patebit.

XIII.

Diximus superius alimenta, posteaquam in ore su-
 am acceperint præparationem in ventriculum ingeri;
 qui, quam primum in hunc mixtura hæc incidit, se con-
 trahit pro copia assumptorum, ita ut illam arctè conti-
 neat; permiscetur ipsis, tum humor ex glandulis ven-
 triculi procedens, tum fermentum ex reliquiis cibo-
 rum ortum & ipsorum particulæ subtiliores in intimos
 ciborum recessus deferuntur, maximè ad id iuvante ca-
 lore ventriculi, qui à partibus circumjacentibus pro-
 movetur, de quo postea: Dum igitur mobiliores, ac veæ
 scilicet, spirituosæ, & quæ ab iis deferuntur, acidæ, sa-
 linæq; sive illæ cum cibis assumptæ, sive in fermento re-
 pertæ fuerint: non solum per majores ciborum poros
 moventur, sed quæque versus se movendo, minimis il-
 lorum poris occurrunt; quos, cum penetrantiores in-
 grediuntur, materiam secundi elementi ibi repertam
 inde expellunt, quoniam pori hi sunt tam angusti, ut
 ab his particulis, pauca materia primi elementi cinctis
 repleantur. Quæ materia cum semper in celerrimo
 versetur motu, etiam has particulas secum eo motu de-
 fert, quæ in latera pororum impingentes, illa deducunt,
 particulas à se invicem divellunt, adeoque totum spon-
 giosum reddunt; dum in particulas quasdam motui i-
 psarum resistentes totis viribus impingunt, illas ab aliis
 separant, & ipsis motus partem communicant, adeoque
 cibos ea ratione attenuant; Quod continuant, usque
 dum in tam parvas particulas divisi sint cibi, ut à mo-
 tu ma-

tu materiæ primi & secundi elementi, eorum particula singula seorsim, corpus liquidum constituent. Hæc materia ex utroque elemento composita, particulisqve rapidissime motis constans, etiam motum his particulis imprimere potest; cum instar fulminis per omnes corporis poros penetrat, & singula corporum intervalla (cum vacuum non detur) replet, particulas diversimodè agitat & quaqua versum movet: præcipuè si ab earum mixtura, pori, quos perfluit hæc materia, altero suo extremo angustati sunt, (*Quoniam celeritas motus, spatii defectum compensare debet*) illa materia celerrime movetur, & particulas sibi innatantes, secum defert, atqve omnia illa facit, quæ à materia primi elementi fieri diximus.

XIV.

Tandem hic considerandus est calor ipsius ventriculi non ei innatus, ut vulgo fingunt, sed ab humoribus arteriosis, per ejus tunicas circulantibus, productus; imò & fons proximarum partium, particulas subtiles & in celerrimo motu positas, continuo per poros intròmitentes, unde necessario impingunt in particulas alimentorum, earumqve motum intestinum & divisionem augent: Quam divisionem non minus accelerat fermentum *suis particulis aqueis salino volatilibus & acidis*, hoc est flexibilibus, pungentibus atqve scindentibus: Hæ enim cultrorum vel gladiatorum instar, vel ex uno vel ex utroque latere scindentium, particulas alimentorum à se invicem separant; *Istæ*, cum acicularum instar sint acuminatæ, impingentes in eadem alimenta, eorum poros subintrant, & ratione salis sui volatilis subtilifant & ad actum fermentationis promovent, *Illæ* verò particulas ciborum alluendo, & eorum salia resolvendo unam atq;

atq; alteram ab aliis abducunt: Hinc fermētum in stomacho circa digestionis negotium duplici quasi munere fingitur. (a) Instar menstrui resolvit cibos, sicque partes alimentorum à se invicem separat, & salia abscondita in apertum producit. (b) Volatili aciditate cum ciborum salibus alcalibus & conjunctâ materiâ primi elementi fermentationem inchoat, & feliciter absolvit, unde haud incommode menstruum *fermentativum* appellari potest: Notandum etiam plurimos medicos in eâ fuisse opinionem, diversos cibos uno pastu assumptos, commode fermentari non posse, sed corrumpi, verum in eo falluntur; quoniam eo melior fit hæc fermentatio, ob diversitatem particularum, quarum hæc illarum poros subire, atque eâ quæ dictum est ratione fermentationem excitare possunt, quod à minus differentibus particulis minus fieri potest.

XV.

Quibus itaque intentiore oculo perspectis, quæ ad fermentationem seu chilificationem pertinent, progredimur ad ipsum hujus in ventriculo actionis productum quod chylum vocamus; qui nihil aliud, quam particula alimentorum ab humore fermentali dissolutæ & huic combinatæ sub massæ cujusdam cremoris ptisanæ formâ, non saltem quoad consistentiam, sed colorem quoque, qui albicans semper seu subcinericeus est: hunc colorem suum albicantem nactus non est à facultate aliquâ ventriculi assimilatrice, qualem vulgo fingunt, sed à causâ valde mechanicâ; nimirum videmus in pharmacopoliis, si cum aquâ macerentur femina pingvia, istam aquam inde lactescere; sic etiam in nostro ventriculo, cum multæ sint particule aqueæ ex assumpto potu, & simul copiose pingves, quid mirum, ex haurum commixtione al-

ne albicantem gigni liqvozem, h. e. chylum fieri lactiformem.

XVI.

Hic chylus sic satis fluidus redditus uná cum faciibus suis sensim & pederentim ex ventriculo propellitur in fistulam intestinalem, tum á visceribus incumbentibus, tum diaphragmatis motu descensorio, tum denique motu ventriculi peristaltico orto á spiritibus per nervos sexti paris in ejus tunicas influentibus.

XVII.

Chylus ubi ad intestina vulgò tenuina pervenit, in quorum tunicis innumera reperiuntur hiantia oscula vasorum lacteorum, in quæ particulae subtiliores fluidioresque á particulis fursuraceis sequestratae, ope velamenti bombycini (quod se se instar cribri habet) & motu, intestinorum peristaltico, nec non diaphragmatis & musculorum abdominis impelluntur roris instar; crassior vero pars, partim propriâ sua gravitate, partim motu intestinorum peristaltico, deorsum ad intestina crassa & anum (honor sit verbis) devolvitur, ut suo tempore acrimonia bilis (quæ continuo irritat intestina ad excretionem) tanquam inutile quid excernatur. Imò, juxta, mentem Lovveri *de Corde cap. 5. pag. 198.* fit tali modo, secretio, scil. *quod diversi pori in interiori intestinorum tunica ita sint dispositi, ut cremorem saltem lacteum fluidioremque substantiam admittant, (seu Chylus fluidior poros peristomatidis intestinorum tanquam spongiam subit, per quos ceu filtrum ad orificia vasorum lacteorum proxima trajicitur) crassiores verò partes cum nullam habeant proportionem cum poris, praeceant & depellantur deorsum.*

XVIII.

Tandem hæ chylosæ particulae á vasis lacteis excepta ul-

ptæ ulterius tendunt innumeris ramis per pancreas me-
fenteri ab Afellio inventum & denominatum ad recepta-
culum commune five oceanum ; (hujus fitus est juxta
tendines musculorum diaphragmatis inferiorum & arte-
riæ magnæ ramum descendentem) ubi sensim & pede-
tentim collectæ, diluuntur à sero è lymphaticis super-
nis & infernis stillante ut eo commodius possint ascen-
dere per ductum thoracicum, qvòd in hominibus diffi-
lius foret explicatu, cum perpendiculariter incedant,
qvam in aliis brutis animantibus situm parallelum cum
horizonte habentibus; nisi in illum intruderentur ten-
dinum musculorum diaphragmatis inferiorum, & mu-
sculorum abdominis motu reciproco, imò proprio mo-
tu & calore; nam ubi guttulæ quædam chyli sunt intru-
sæ, non possunt relabi ad receptaculum obstantibus co-
piofis valvulis. Per hunc ductum, thoracicum (qui sæ-
pe invenitur simplex, sæpe duplex, triplex, & in varias
qvasi insulas dividitur, nam variat in variis &

Ludit in humanis divina potentia rebus)

chylosæ hæ particulæ, contra motum gravitatis ascen-
dunt & sangvini refluenti à brachiis admiscentur in ve-
na subclavia sinistra, harum motum non parum juvant
arteriæ intercostales, qvibus canalis chyliferus supponi-
tur, quæ illum (scil. ductum chyliferum) feriunt &
comprimunt, hinc chylum & lympham successivè ab
unâ valvulâ ad alteram propellunt, donec ad dictam sub-
claviam perveniant.

XIX.

Sic massæ sanguinæ quidem admixtæ hæ particulæ
chylosæ, nodum tamen intimè commixtæ unâ per trun-
cum venæ cavæ descendentem, vulgo *ascendentem*, ad
cordis dextrum thalamum deferuntur; In qvo fermenta-
tæ

tatæ ulterius iter suum prosequuntur per arteriam & venam pulmonalem (ibique per respirationem sanguis accipit suum pabulum, quo maximè vivificatur, nec non fulgines deponit) ad sinistrum cordis ventriculum, in quo magis effervescent, ac tandem unà cum sanguine sæpius circulum per arterias & venas absolvunt, sicque per repetitas fermentationes, circulationes, intensam illam rubedinem acquirunt, & quasi in ejus naturam convertuntur.

XX.

Ultimò jam sequitur quomodo nutritionis negotiù absolvatur, de quo nos dicturos Thesi secunda promisimus; necessum ergo est, ut perpendamus quænam in corpore nostro particule ad nutritionem aptæ natæ esse possint: considerando scilicet sanguinem perpetuo motu circulum absolvere *arteriarum* quæ illum deferunt à corde ad circumferentiam corporis & *venarum*, quo revehunt illum ab extremis partibus ad cor; cum verò ille *arteriosus*, scilicet multas habeat particulas chylosas admixtas, amandat quasdam in nutrimentum spirituum & partium solidarum; quæ, dum satis subtiles sunt factæ, per crebram fermentationem roris instar expelluntur per arteriam poros, adjuvante pulsù perpetuo & arteriarum structurâ in angustum desinentium: Cui pororum apertioni multum conferte putamus particulas aquosas ad lubricandum, laxandum, fibras acidas & salinas ad aperendum, ut eò aptius chylosæ, blandæ, pingves & oleosæ, balsamicæ, possint pervadere, & ad interiora carniùm accedere. Aquosæ quidem particule ineptæ sunt ad nutritionem, uti & salinæ & acidæ, quæ magis quid à stamine partium abradunt, quam apponunt; sed balsamicæ particule sunt, quæ quiete & superficiecularum

larum convenientiâ quoad figuram & magnitudinem
 stamini partium adhærescunt, & damnum indies illatum
 per continuam insensibilem transpirationem, sudoras,
 urinam, excrementa alvina &c. refarciunt; superflua
 interim particulæ (nam omnes non possunt cedere in
 alimentum) per insensibilem transpirationem exhalant
 vel resorbentur à vasis lymphaticis, & ad sanguinem re-
 feruntur, aut per publica emunctoria corporis foras e-
 liminantur. Hæc dicta sufficiant de statu nutritionis na-
 turali, quibus cognitis tantò facilius causæ speciei nu-
 tritionis læsæ (quæ Atrophia vocatur) nobis innotescant,
 convertimus itaque nos ad

CAPUT. II.

DE

NUTRITIONIS STATU

p.n. EJUSQUE SPECIE QUADAM
 ATROPHIA DICTA.

THES. I.

Nutritio tribus modis læditur. (1) quando ea defi-
 cit, adeoque Tabes & Atrophia oritur. (2) Quan-
 do ea abundat & partes solidæ nimis nutriuntur
 v. gr. in Corpulentia & Obesitate nimia. (3) Quan-
 do ea depravatur & non tantum inæqualis sed & per-
 verso modo fit, v. gr. in Cachexiâ, Leucophegmâ, A-
 nasarcâ, Ascite, Ictero, Rachitide &c. Hos duos postero-
 res læsæ nutritionis modos in præsentiarum non ven-
 tilabimus, sed tantem priorem.

C 3

II.

II.

Cum verò in naturâ morbi cujusvis eruendâ, ideo solum versetur Medicus, quo illâ certius cognitâ, hinc certius removeri possit; inutiles quosvis meritò reputabit λογισματίας, ultimo medicinæ semper intentus fini. Etsi proinde à celebribus hujus artis Antesignanis in diversas itum est sententias, an *Atrophia* morbus vel symptoma dici mereatur, cum tamen ad debitum mihi colliganti scopum, parum lucis hæc quæstio de generalibus allatura videatur, hic propterea omittendam censui, præcipuè cum unicuique sua concedi possit opinio, diversa enim hæc nomina non nisi unius ejusdemque rei variæ consideratæ, diversos dicunt conceptus. Ipsam itaq; potius rem aggrediar, meamque (prout per se morbus est) vocis denominatione & descriptione perspectâ, de causis differentiis, signis diagnosticis & prognosticis, publico Celeberrimi hujus confessus examini subjiciam sententiam; quo, hisce præmissis, facilius ad curam anhelanti pateat aditus.

III.

Ad vocis etymologiam, ejusque variam significationem quod spectat; Notandum (a) illam originem trahere ex α privativo & $\tau\rho\acute{\epsilon}\phi\omega$ nutrio, germanicè *das Abnehmen/die Schwundung*/belgicè *een teeringe*. (b) eam scilicet *Atrophiam*, modo pinguedinem afficere, ac *Maciem* vocari; modo carnem simul ac *Tabis* nomina significari: modo corporis externi habitum & viscera corrumpere, ac nomen *Atrophiæ* generale retinere. (c) Eam existere aut *universalem* & in toto corporis habitu observari, aut *particularem* aliquibus saltem membris supervenientem, sic enim nunc pulmones flaccidi, nun lien corruptus

ruptus & tabidus observatus est, quemadmodum nunc manus altera, nunc pes in Atrophiam incit, quod ipsum vitium *Aridura membrorum* vocari solet: De universali solum jam nobis erit sermo, ne Disputatio hæc nostra lectores tædio afficiat & limites excedat.

IV.

Atrophia igitur universalis, est diminuta nutritio & inde partium solidarum insignis & insolita extenuatio cum vitium imbecillitate ex defectu laudabilis chyli orta, vel ab intercepto ejusdem in partes affluxu. NB. Non hic tam strictè sumimus vocis acceptionem, ut quidam Literatores, qui hic negarent omnem nutritionem ex vi vocis; sed tantum notabiliter diminutam, non verò omnino denegatam, abolitam; hæc enim posita, brevi periret homo.

V.

Causa proxima five immediata hujus morbi est duplex vel ipsius nutrimenti à sanguine corruptio vel ipsius defectus.

VI.

Quoad primum nutrimenti scilicet, corruptionem, ea fit quando M. S. minus est temperata, viscosa, acris, & quasi muriatica, quæ particulas nutritias corrumpit & sic ad nutritionem minus apta est. Nam Physiologia & Chymia nos docent, sanguinem constare ex particulis chylofis, variis, præsertim salino volatilibus, oleosis, terrestribus & aquosis, quæ omnes mutuo respectu ad invicem harmoniam quandam efficiunt: Salinæ infringunt acidas, & acidæ iterum obrundunt salinas, hæc itidem incidunt & temperant terrestres, oleosæ involvunt suæ crassitie acidas & salinas, aquosæ diluunt omnes ipsisque sunt pro vehiculo; adeoque cum sales hi justa tenuitate & agilitate polleant, nec non ab olei blandis ramentis in-

vol-

volvuntur & temperentur, massam sanguineam reddunt activam floridam, dulcem balsamicam, beneficio chyli nutrientem & foventem corpus humanum; Verum in statu p. n. si peccetur, tam ratione salium, quam olei, non potest non, quin inde magnæ oriuntur perturbationes in corpore humano, & nutritionis negotium turbetur. Sales ergo si peccent vel quantitate vel qualitate, sanguinis balsamum depauperant, acrem reddunt & ad nutriendum ratione partium chylosarum, inidoneum, qui insuper inertia ad motum suscipiendum & acrimonia, mixturam sanguinis condensant, & ad liberiores fermentationem in corde subeundam inhabilem reddunt; unde obstructions quamplurimæ, hypochondriorum, mesenterii, lienis, aliorumque viscerum, lassitudines spontaneas, difficiles respiraciones, palpitationes cordis oriundas observabit Medicus: Porro hi sales cum particulis nutrientibus ad omnes partes corporis delati, infesta sua acrimonia partes corporis membranosas & nervosas vellicant, unde varii dolores rodentes, lancinantes, pungentes, prout sales diversis figuris & angulis præditi sunt, tormina intestinorum, artuum consumtionem, emaciationesque corporis frequentissimè oriuntur. Sales enim acres ipsam musculosam substantiam & pinguedinem rodentes, portionem secum auferunt, & in sanguinis massam reducunt, unde quandoque urinas pinguedine obductas conspiciere licet; Ab altera parte si oleum sanguinis visciditate & tenacitate sua peccet, ita, ut sales volatiles ramentis suis involvantur, ut sese iisdem extricare difficulter queant, M. S. itidem redditur iners, pingvis viscosa, & successu temporis vitium contrahit ac raneſcit, & sic ad nutriendum minus apta evadit. Possunt etiam & alia præter hæc recensita nutrimentum sangvi-

fangvinis vitiosum reddere & ejus crasin invertere, resident enim in eo non solum secundum opinionem vulgi, calidum, frigidum, humidum & siccum, sed etiam *amarum, salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & siccum, & alia, omnigenas facultates habentia, copiamque & robur;* quæ monente Hippocrate lib. de Prisca Medicina artic. XXIV. *Mixta ac inter se temperata, neque conspicua sunt, neque hominem ledunt; ubi verò, quid horum secretum fuerit, tunc & conspicuum est & hominum ladit;* sicque hæc omnibus morbis causam præbere possunt.

VII.

Detecta nunc in genere crasi fangvinis vitiosa ac causa proxima, & ostenso, illam esse cruditatem salinam, viscosam, acrem & quasi muriaticam; jam disquirendum erit, quomodo hæc atrophiam inducere possit: Dicendum itaque, quod si M. S. à sano & debitæ mixtionis statu descivit, ita ut particulæ crasin ejus constituentes non debitam habeant ad invicem proportionem, sed particulæ nimis salinæ, acidæ, acres, oleosæ etiam & terrestres in ea dominium obtineant, illaque nutritias particulas corruptant, & sic (tam, quod ratione similitudinis; figuræ & magnitudinis, non conveniant, quam, quod acrimonia sua partes nutriendas magis erodant ac depravent, tum etiam propter sæculentiam & terrestritatem obstructis poris ad partes nutriendas pervenire non possint) ad nutritionem minus aptæ existant; aliter fieri non potest, quam ut corpus emarcescat, & commodo pabulo deficiente, tandem Tabæ sive Atrophia conficiatur.

VIII.

Causam proximam sequitur causa remota, quæ etiam duplex est, *alia interna, alia externa.*

D

IX.

Causa remota interna quærenda est in ventriculo & intestinis: Nam occasione vitiatæ digestionis primæ quatenus sc. variæ cruditates (sive acidæ s. nidorosæ) & plures adhuc sâpores alieni à nativo aberrantes (np. falsi, plus minus viscidî &c.) in ventriculo collecti sânt, necessario M. S. vitiatur, unde exsurgunt varii morbi & symptomata, hincq; nutritio magnum patitur damnum.

X.

Chylus laudabilis fieri non potest I. vitio fermenti stomachici vel debilis vel acidi nimis & fixi, hoc enim modo alimenta non ritè fermentantur, sed ex defectu volatilisationis in massam viscidam ac tenacem sæpe acidam abeunt. Non tam cumulatur inde crusta intestinorum pituitosa, sed etiam id quod infunditur sanguini, ineptum est, ut debite assimiletur, hincque obruit quasi principia M. S. activa, hæcque crassescit, spissescit, & minutè fermentatur, tarde circulatur, ac tandem dum in poris partium circa vasa capillaria subsistit, partim humorum motû inhibet, partim vero viscera instar spongiarum infarcit; unde contumaces & chronici quam plurimi oriuntur affectus, in specie Cachexia, Hydrops, &c. II. Vitio vel bilis, vel succi pancreatici, vel utriusque bilis vitio, quat. ratione suæ oleosæ substantiæ min9 pingvis & ratione acrimoniæ suæ nimis acris existit, unde (prout in statu naturali valde constat particulis salinis, oleosis, sales chyli demulcentibus eumque viscidiorum incidentib9:) alimenta ab hac minime correctâ fiunt causæ occasionales morborum, pro alio atque alio sanguinis vitio, variorum dum in sanguine non ritè plus minus subacta, nec per debitam assimilationem in sanguinem mutata, neq; ejus principiis salinis activis ceu portio-

portionatis debite unita, vitiosam inordinatamq; inducunt fermentationem: de vitio succi pancreatici & quales morbos excitare possit, vide Sylv. & Graeff. de *Succo Pancreatico*.

XI.

Causa remota externa desumenda est ex sex rebus non naturalibus, quas ordine examinabimus; Primum ex iis locum obtinet *Aer* quo cincti sumus, & quam necessario ille ad vitam requiratur, nemo ignorat, qui vel Medicinæ salutavit limina, de cujus necessitate Mayov. in tractatu suo de *spiritu nitriaero* pluribus videri potest. Tandem necessitatem confirmat *Hippocrat. lib. de flatibus* ubi ita loquitur: *Spiritus necessitas mortalibus omnibus est tanta, ut quamvis aliis omnibus abstineat homo neq; cibum sumat, neq; potum, possit tamen dies duos vel tres ducere; si vero cui spirituum meatus, per quos ingrediuntur in corpus, interceptantur, momento unius hora moritur.* Cum verò aeris inspiratione omni momento indigeamus, quid mirum, si etiam secundum ejus qualitates & varias particulas corpus nostrum variè afficiatur; Notabile ad hanc faciens exemplum recenset *Charlet. Exerc. Patholog. V. de Angliâ* qui primum *Virginiam* in novo orbe incolebant, hi enim fere omnes tumore abdominis & hypochondriorum ex cæli solique incongruitate, graviter afflicti, illic commorantes, nec minimam quidem ex præsidio vel generosissimis sentiebant opem; at in patriam denuo recepti, mox quam facillimè curabantur. En insignem mutati aeris effectum; Quem etiam in septentrionalibus, quæ scorbutum habent familiarem, regionibus miseri experiuntur. In his enim, cum aer sit frigidior, qui poros corporis coercendo, debitam transpirationem inhibens, sanguinem incrassat; humidior, crassior multisq; paludosis, salinis (uti non solum in maris finitimis,

sed & illic locorum in quibus salia concoquuntur, incolæ suo malo animadvertunt *exhalationibus refertus*, qualem quæso, ex inde fructum nisi varias viscerum obstructions & has comitantem cruditatem sanguinis acido-salinam acrem tuncque nutritionem imminutam, expectabis.

XII.

Aerem ordine & dignitate excipiunt *cibus & potus*, uno nomine *assumpta* sive *alimenta* dicta: hæc si particulis gaudeant benignis & ad nutriendum aptis, corpus nutriunt ac in statu sano conservant, adeo ut iis simul cum aere carere non possimus; si vero secus se habeant, sanitate mox à statu naturali desciscere faciunt, & multorum sunt causæ malorum: ita malo huic causam præbent *esculenta cruda* verbi gratia, lactuca, braseica, & alia varii generis olera & legumina, fructus horarei immaturi, crassa, *glutinosa, viscida*, ut carnes bubulæ annosæ, fibrosæ, exsuccæ & macræ, porcina, hircina, pisces varii, & aliæ animalium partes tenacis consistentiæ: *salina & acida*, hujusmodi sunt aves maris incolæ & quæ ex eo nutrimentum suum capiunt, ut pisces marini, præcipue saliti, aut siccati, carnes multorum animalium sale conditæ ac fumo induratæ, varia, quibus multi mirum in modum delectantur, acetaria, *Semicorrupta & putrida*, quo pertinent carnes putredine & mucore corruptæ, pane inveterati, duri & murcidi, ex quorum usu in annonæ sævitiâ, obsidionum angustiis, nonnunquam etiam in castris, plurimi sæpissime id malum contraxerunt: *& plurima alia, portionibus crudis crassis, viscidis, acidis, saluginosis, & muriaticis referta* quæ omnia viritim recensere nunc non vacat. Inter *potulenta* culpandi sunt potus aquæ crudæ stagnantis, non satis puræ sed fœtidæ, cerevi-

cerevisiæ novellæ, crassæ, fœculentæ & corruptæ, vina acida, rancida, & immatura, ita etiam spiritus vini abusus (ut ut enim modicè usurpatus spiritus nostros egregiè reparet, & fatis commodum flammæ vitali pabulum præbeat, nimius tamen ejus usus insignes noxas parit) cuncta hæc assumpta, difficilioris concoctionis, aut alio modo vitiosa reperiuntur, ita ut à spiritibus nostris superari aut expelli (imo ferme iis ab his nihil spirituosi accedit) nequeant, in succum non solum crudum, sed & maxime nocivum acido-salinum & muriaticum plurimarum obstructionum & atrophix parentem, abeunt.

XIII.

Nec reliquæ res non naturales in propaganda nutritionis imminutione innocentes sunt. *Sic Motus & Quies* si modum excedant, symbola sua huc conferunt. *Motus* enim si sit nimius, spiritus dissipat & exhaurit, unde concoctiones ob spirituum defectum ritè perfici non possunt; hinc sanguis evadit crassior & successivè acrior; præsertim motus & exercitia vehementia, statim à pastu celebrata, (quod præter spirituum consumptionem fieri non potest) etiam (chylum crudum & semi confectum, nec fatis à suis excrementis depuratum, in vasa lactea, & postea in sanguinis massam radiunt, hincque crudum & crassum sanguinem ac minus spirituosum generant, summè sunt nociva. *Quies* est contra justo longior et si spiritus non adeò absumat, eos tamen nimis deprimit eorumque generationem promptam quodammodo inhibet, inde circulatio sanguinis tardior peragitur, spiritus redduntur torpidi, nec ad functiones quascunque & fermentationes obeundas fatis agiles, ut hoc modo cruditates in sanguine cumulentur, ita aliquando morbos diuturnos, ob intermissa scilicet exercitia & motum conventum

fvetum gignit. Dein fequitur Cachexia & Atrophia. Idem de *ſomno & vigiliis nimis* erit ferendum iudicium; *Illo* enim fermentationes ſanguinis, ejuſq; tranſitus per partes difficiles redduntur, chyli diſtributio retardatur, & ſucci crudi pituitoſi generantur: hæ verò, cum ſpiritus copioſe abſumant, craſſitiem ſanguini & acrimoniam conciliant; hinc obſervamus eos qui noſturnis lubricationibus & ſtudiis nimis diu inhaerent, tam propter vitam ſedentariam, & intermiſſum corporis motum, quam ob diſſipatos nimis vigiliis & laboribus ſpiritus, conſtitutionem ſanguinis contrahere acriorem & viſcidioſam ac minus nutritivam. *Excreta & Retenta* ſi legitimo modo non procedant, mirum, quas turbas & calamitates in œconomiâ animali excitent. *Evacuationes conſuetæ* ſi nimis diu retineantur, multorum & magnorum morborum autores eſſe omnibus liquet; ſic urinæ, fœcum alvinarum, hæmorrhoidum conſuetarum, eorum, quæ per inſenſibilem aliàs tranſpirationem exhalare ſolent, retentione, & in ſequiori ſexu menſtruae purgationis ſuppreſſione, quæ non maſſæ ſanguineæ procreantur incommoda? omnes enim, quæ ordine naturæ conſuetæ ſimul per has vias excerni ſolebant, fuligines, cruditates, impuritates, in corpore retinentur & ſanguini noxam imprimunt. Unde ex nimis diu prohibito urinæ fluxu, & inſenſibili tranſpiratione impeditâ, ſanguinis primum fit ſeroſior, poſtea diutinâ mora acrior & ad nutritionem ineptior. *Ex ſuppreſſis* alvi & hæmorrhoidum *conſuetis fluxibus*, ſanguis generatur craſſior, crudior, multisq; fuliginibus excrementitiis nutritionem impendentibus refertus: Ut jam evacuationes ſolitas inhibitas merito culpavimus, *ita etiam nimia eorum, quæ retineri debebant, excretio*, non omni caret culpâ, & præci-

præcipuò eam merentur hæmorrhoidum & mensium profluvium immodicum, alvi fluxus varii, dysenterici, celiaci, hepatici, sanguinis, sudorum & urinæ profusiones nimie, &c. His enim omnibus massa sanguinea spiritibus & subtilissimis feri portionibus privatur, remanente materiâ inutili crassâ, crudâ, viscidâ, quæ ad motum circulumque sanguinis absolvendum inepta atrophie causam & occasionem præbet. Inter *animi pathemata* per cæteris accusamus *Tristitiam & Iram*; illam, quidem, quatenus ob spirituum vitalium suppressionem & obtenebrationem motus cordis & sanguinis imminuitur, elaboratio chyli lentè peragitur tandemque fit cruditatum accumulatio; unde pulsus tardus, lentus, corporis adest langvor &c. *Hanc* verò quatenus in illa sanguinis motus augetur, humores vitiiati & corrupti variè, agitantur, ac ad partes nervosas protuduntur: Et quo modo hi duo animi affectus aliique v. gr. Invidia &c. noceant, præcedentia clariora reddunt.

XIV.

Hæc de causis primi generis ad atrophie generationem maximè facientibus, dicta sufficiant; nunc lubet quædam, ad secundi generis causam proximam atrophie facientia, narrare; quamvis ex professo de his nobis sermo non fuerit.

XV.

Quoad secundum nutrimenti scilicet defectum (quando chylus nutritivus genitus quidem, non tamen distribuitur ad massam sanguineam) ille fit. 1. Vel à vermicibus in intestinis chylum intercipientibus & abligurientibus. 2. Vel vitio vasorum lacteorum in fluxu celiaco, vel eorundem obstructione, vel coalitione per præcedentem exulcerationem circa eorum principia a materiâ vi-

riâ viscidâ, tenaci, oscula occludente & transitum chylo-
 totalem denegante. 3. Vel quando ipsâ glandulâ me-
 senterii sunt scyrrhosâ, obstructâ, induratâ, chyli tran-
 situm non permittentes, undè necessario corpus ema-
 ciatur, quod malum frequens satis est infantibus & ju-
 nioribus, vide hujus exemplum, in Sylv. prax. de intesti-
 norum doloribus. Pertinent huc affectus mesenterii, in
 specie abscessus & tumores insignes, qui chylo transitum
 denegant, atq; sic ad atrophiam corpus disponunt vid.
 Horlt. lib. 2. obs. 8. 4. vel quando chylus non infunditur
 in venam axillarem sinistram, obstructione vel lacera-
 tione ductus thoracici, tunc non modo atrophiam, sed
 ipsam mortem causatur. 5. Vel deniq; à collapsu tubu-
 lorum carnosorum, vel ab obstructione vasorum capil-
 larium, vel nervorum, undè paralyfi sæpè supervenit
 atrophia, à defectu spirituum, simul cum sanguine nu-
 tritioni inservientium, & humoribus circulantibus aliâs
 calcar addentium.

XVI.

Causarum serie, ut mihi videtur, sic satis evolutâ,
 addendum esset aliquid de symptomatibus morbum
 hunc concomitantibus: verum qui benè perspectam ha-
 bebunt causarum hujus morbi evolutionem, eamque in-
 tentiori oculo inspiciet, illi haud difficulter & non ob-
 scurè omnia patebunt.

XVII.

DIAGNOSIS per se satis est manifesta, cum totum cor-
 pus sensim extenuetur, diminuatur, vigorem ac pristi-
 num robur deperdat: Etenim tempora collabuntur, co-
 stæ protuberant & conspiciuntur; scapulæ alarum instar
 prominent, abdomen rugosum collabitur; crura pedes,
 manus & brachia carne & pingvedine ferè sunt denu-
 data;

data; pili excidunt; orbitæ oculorum concavæ; narium latera vel parietes acuti; totum corpus est instar sceleti, & cutis vix osibus hæret, ita ut miser mortalis hæc atrophiam laborans faciem, Hippocraticam dictam, adipiscatur.

XVIII.

PROGNOSIN quod spectat, notandum atrophiam sæpè numero curatù haud facilem esse in quibusdam, præsertim in tenibus, si sit inveterata: nam in iis sunt partes duriores, aridiores, minusq; mobiles: Hisce prævisis, methodus postulat ut subnectamus curationem, de qua in sequenti capite.

CAPUT III.

DE

CURATIONE ATROPHIÆ.

TH. I.

EGregiè navita quivis, etiamsi navigationis minus peritus, in tranquillo & pacato ponto, ventis ferè silentibus, maria tranare, & ad portum tutissimum, navim feliciter novit deducere, verum oceano faviente, ventis procellosis undiq; perflantibus, idem, nisi peritissimus & omni numero absolutissimus, vix unquam tutus evadit. Sic in levi & per se sanabili morbo, i. e. natura ipsa operante, Medicus quivis vel medicaster ægrotautes adoptatum & desideratum sanitatis portum facile & placidè reducere poterit: Econtrario verò in gravissimis affectionibus, ubi omnia non secundum Medici vota succedunt, & in quibus symptomata gravissima agmine facto irruunt, non nisi cordatus & ejus navigationis per longam experientiam peritissimus, mortales ab hæc

E

tem-

tempestate liberare valet. Non adduxi hoc exemplum B. L. ut me jam æquipararem peritissimo nauclero sive Medico, sed tanquam emblema aliquod, quod semper mihi ob oculos ponerem, scilicet non omnia statim in ægrotantibus votis respondere nostris, verum sæpissimè morbos in tantum sævire, ut interdum nesciamus quo nos vertere debeamus: Interea tamen nunquam desperandum, duro nodo durus est adhibendus cuneus: Specialem curam verò priusquam attingerem, statueram quidem mecum, quædam in genere de remediorum operatione & applicatione loqui; sed, cum tempus me ad alia vocet, imo animus quoque non sit tractatum conscribere, ista in aliud tempus, datâ occasione, differre cogor; de his itaque hæc pauca sufficiant: scilicet Remedia ut optatissimum finem suum, sanitatem, nempe obtineant, æquum est, uti res ipsa loquitur, ut debito tempore & cum iudicio applicentur; Non temere autem applicabuntur, si sollicite quis ante perquisiverit, quomodo medicamenta operationes suas in corpus nostrum exferant, in quos præcipue humores agant, qua ratione eosdem destruant, corrigant, vel plane extra corpus eliminent. Hac via tutissimus ibit Medicus, etsi conatibus ipsius (quod in tanta hominum fragilitate non rarò evenit) eventus non responderit, recte factæ artis conscientia etiam media inter ægrotorum suorum funera erecto erit animo. Ex præiudicio vero medicamentorum facultates sibi fingere, & medicamenta promiscue, non consideratis humorum varietatibus in hoc vel illo morbo excedentibus propinare empiricorum est. Quod si autem perspecta morborum natura & observato, ex syndrome signorum, humore peccante, medicamentorum quoque vires interius cognitæ habuerimus, facilius erit medi-

medicinam illi humori speciatim contrariam, sive specificam, opponere, eundemque tanto certius infringere scilicet scientificus Medicus, non solum remedia morbis profligandis præscribere, sed insuper rationes operatum, quas edunt, reddere tenetur, quo tum suæ famæ & conscientiæ, tum ipsorum ægrotantium saluti rectissime consulat.

II.

In Cura habenda est ratio causarum & hinc effectus scilicet corporis contabescentiæ, unde duo scopi observandi. (I.) Ut acrimonia salsa sanguinis temperetur, ac nutritiva dulcedo restituatur. (II.) Alterantia imprimis copiosa succi facilis digestionis & deobstruentia exhibenda sunt, quæ valia & chylum dulcem suggerunt, & simul sanguinem temperatum reddunt, & obstructions deobstruunt. Cum itaque uti in capite præcedente dictum, atrophia ex diversis causis dependeat, necessum quoque est, ut Medicus per diversas incedat, atque exacte & accurate examinet; an vitium sit ex parte salium, an verò ex parte visciditatis vel alius cujusque; Et quidem, si sales suspectos habet, judicet an iidem peccent, aciditate, vel an sint ex genere alcalium, vel ex censu muriaticorum.

III.

Acidi sales corriguntur, (a) per omnia *absorbentia* dicta, quæ valia sunt imprimis partes animalium duræ, cornua, dentes, ossa tam cum igne præparata, quam sine igne cruda, ac philosophice calcinata, item concreta animalium quasi lapidea: hæc omnia corrigunt acidum vitiosum. Pertinent huc etiam cranium humanum, marina, in specie unicornu verum dictum, maxillæ lucii piscis, dens elephantis sive ebur, dens hippopotami, lapides,

des, oculorum cancri, per carum, carptionum, testæ cuncharum, ostrearum; faciunt huc lapides bezoardici in ventriculis caprarum silvestrium orientalium & occidentalium orti, equi, item in hominum vesicis & renibus reperti calculi, non secus ac testæ ovovororum tam gallinarum, quam in specie strutiocameli &c: inter vegetabilia acidum absorbentia adhibeantur plus minus astringentia dicta, ut radices tormentillæ, bistortæ, gallæ, malicorium, cortex chinæchinæ, it: quercinus & his cognata: ex regno minerali faciunt omnes terræ minerales, scil. sigillatæ in specie rubrica fabrilis & pulvis lapidum coctorum; it: lapides plures, crySTALLUS, judaicus, lycis &c. his addenda corallia, unicornu fossile, similiaque terrea siccant; in specie metalla quævis, primario ex marte & saturno præparata, potentissima acidi alterativa sunt, illudque in aliam prorsus naturam mutant. (b) per saturantia, nempe omnia salia urinosa, tam volatilia, quam fixa alcalifata & cum sint valde acria, consultius esse judico, si cum oleosis misceantur, ne balsamus sanguinis dulcis depauperetur; talia sunt. Elixir proprietatis cum alcali fixo paratum spiritus salis armoniaci, cochleariæ &c. sal volatile oleosum ex mentha majoranâ &c. vel aromatibus compositum; imo ad decocta medicata recurrendum, quæ fiunt, ex rasura ligni quaj. sassifr. cort ligni guajac: tamarisc. rap. chin. scenic. herb. cochl. menth. salv. glycirrh. ras. passul. mundatis, addantur decocto sal card. bened. & sal volatile oleosum pro judicio medici. Imo pro cerevisia medicata species esse possunt; radix enulæ campanæ. calami aromatici, raphan. rustic. filic. cort. citr. aurantium, tamarisc. herb. cochl. nasturt. aqvatici, cent. min. ment. meliss. bacc. laur. juniper. sem. anisi, scenic. cinnamomum acutum

tum, &c. (c) per obtundentia five aculeos ejus qvafi involventia, oleofa tam volatilia, qvam minus talia, e. gr. oleum N. M. citr. aurantior. caryophill. cinam. anif. fœnicul. &c. Alcalici fales fi peccent, corriguntur (1) per qvælibet iftos deftruentia aut faturantia, nempe acida, tam naturalia, qvam artificialia mineralium, v. gr. acetum, fuccum cydoniorum, citri, granatorum fpiritus minerales vitrioli, falis, nitri, aut fimphces aut per fpiritum vini dulcificatos & temperatos. (2) per oleofa, uti fuperius dictum, quat. fcil. mitigatur iftis horum acrimoniâ &c.

IV.

Sales muriatici fi peccent, conducunt (1) oleofa temperata, uti funt femina 4. frigida majora, amygdal. dulc. & ex his emulfiones, olea expreffa, lac & lactinia, fulphura mineralium, & qvæ sub claffa oleorum mitigantium numeranda veniunt. (2) mucilaginofa quævis, ut gummi arabicum, tragacantha, item herbæ hoc fucco mucilaginofa turgidæ, ut radices altheæ, malv. & quælibet emollientia dicta & ex his paratæ mucilagines, ut radices altheæ, malvæ, feminis fœnugræci, pfillii &c. item ex animali regno gelatinæ, qvæ temperant fal iftud muriaticum peccans.

V.

Qvod fi vero ex humore nimis tenaci & vifcido fanguis vitium contraxerit, conducunt hic *attenuantia*, qualia imprimis funt gummata acria qvælibet, ut gummi ammoniacum, fagapenum, galbanum, bdellium, myrrha & his cognata, & *incidentia* dicta, tam fimphcia qvam composita; fic omnia acida v. gr. fpiritus falis, nitri, fpiritus falis armoniaci, cornu cervi, fal volatile ejus, & fal volatile oleofum &c. fal armoniacum, tartarus vi-

38 CAP. III. DE CURATIONE ATROPHIÆ.
rus vitriolatus, arcanum duplicatum, quæ viscida quælibet potenter incidunt. Pertinent huc aromatica acriora insigniter incisiva, tam in formâ nativa, quam oleorum destillatorum. Sufficiant itaque hæc ad curam spectantia, ex quibus medicus pro suo iudicio, innumeras formulas conscribere potest.

VI.

Denique ne hic in *diætâ* committatur error & vitium, medicus sedulo quantum fieri poterit prospiciat, ut recta victus ratio instituat, ægerque utatur alimentis facilis concoctionis, boni, multi, ac laudabilis succi, ut sunt carnes animalium præsertim juniorum, utpote vitulinæ & ovillæ &c. Contra vitanda ea, quæ difficilè concoquuntur, ut sunt carnes fumo & vento indurata, nec non salitæ. Lac vaccinum caprillum, ova sorbilia &c. etiam conducunt. Potus sit cerevisia mollis, probè cocta, juscula gallinarum, aliarumque carniū juniorum. Excreta naturaliter procedant. Vitentur vigiliæ nimia, animi pathemata. Atque hic, ne brevitatibus terminos excedam, pedem figam, & TIBI BENIGNE DEUS, pro infinitâ tuâ gratiâ, quâ non solum per omnes vitæ dies mihi adfuisisti, sed & hæc vice mentem meam illustrare non dedignatus es, immensas ago gratias. Pro hoc & cæteris omnibus beneficiis, sit factissimum Tuum Nomen benedictum in seculorum secula.

F I N I S.



2
DO A 6374

ULB Halle

3

002 929 228



86

1517





35 35
DISPUTATIO MEDIGA INAUGURALIS
De

ATROPHIA,

Quam

ANNUENTE DEO T. O. M.

&

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

In Illustri Viadrina

SUB PRÆSIDIO

DECANI SPECTABILIS

DN. BERNHARDI ALBINI,

PHILOS. & MEDIC. D. hujusq; PROFESSORIS
ORDINAR. CELEBERRIMI,

FAVORIS AC PROMOTORIS SUI
Eternum non satis estimandi.

PRO LICENTIA,

ASSUMENDI CRADUM DOCTORALEM,
Publico Eruditorum Examine subjiacet

GEORGIUS *Bottlieb Knobeloch*/
FRANCOF. MARCH.

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad Diem XV. Septembr. A. ab O. R. M DC LXXXIV.
Horis Ante & Pomeridianis.

FRANCOFURTI AD ODERAM,
Typis CHRISTOPHORI ANDRÆ ZEITLERI, Junioris.

